

CHR. AVG. BRANDISIO RHENANAE ACADEMIAE PROFESSORI CELEBERRIMO S. P.

Cum is collega qui his gymnasii Ioachimici commentariis antiquo more doctam commentationem adiuncturus erat, urgente in diem belli Italici grauitate iussus esset arma capere, munere illo ad me delato tandem copia mihi facta est persoluedi quod dudum TIBI uir praestantissime debueram, ut quos TVA manu e codicibus exscriptos singulari TVA liberalitate et beneuolentia mihi commodasses Alexandri Aphrodisiensis libros duos problematorum emendatos ederem. TE enim Itolorum Gallorum Britannorum bibliothecas ut Aristoteli Graecorum philosopho summo nihil deesset quo in pristinam restitueretur integritatem perscrutantem et excutientem ne uiliora quidem aut reconditiora ea fugerunt quae cum aliquo harum litterarum fructu situi uiderentur tineisque eripi. itaque iam Mutinam cum attigisses, tres Alexandri codices animum TVVM tenuerunt quibus problematorum numerum altero tanto maiorem contineri uidebas quam quantum ex Sylburgiano TVO exemplo noueras. quam ob rem tametsi TE tempus deficiebat nec in usus TVOS integrum illud *ἔρμαιον* conuertere patiebatur, copiis non auctis nolebas decedere, sed cum multa TIBI uiderentur memoratu esse digna, schedis ea TVIS mandauisti. Venetiis uero commoratus neque tempori neque labori pepercisti quo Alexandri librum tertium et quartum Graece nondum diuulgatos non modo ex Marciano codice qui est numero CCLVIII transcriberes, sed etiam quae ab hoc apographo diuersa essent ex praestanti libro ΙΧΧΙ omnia, non nulla ex CCLVII enotares. exinde ad Britannos delatus cum Londini Harleianum librum V̄ICCLXXXV satis memorabilem perlustrasti, tum Oxonii non solum integrum alterum ad apographon TVVM exegisti, alterum locis aliquot inspexisti, sed etiam quae Bodleiano CXXXI continentur *Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισιέως ἐπὶ τισιν ἀπορίαι καὶ λύσεις*, eas partim ipse descripsisti partim describendas curasti. haec fere sunt quae congereras, ut aliquando Alexandri exemplaria duobus libris ad codicum fidem recognitis augeres. totum igitur hunc thesaurum tempore illo cuius memoria mirum quantum reficere me solet, cum in tanto luctu domestico et in ipso paene patris carissimi funere tamquam lux noua Bonnae mihi oborta esset, necopinanti quondam mihi attulisti fruique me eo (nam frui paratis ut posset futurus editor neque iam exterarum gentium bibliothecas adire coactus esset, indefesso TVO labore effecisse uidebaris) uolentem TV benigne iussisti.

Sed in aliis omnibus me haerentem et exsequendi quod copiis TVIS acceptis susceperam officii spem in futura otia differentem anteuertit Bussemakeri sollertia,

a°

qui Aristotelis problematis ipso relegente a Didoto editis adiunxit *προβλημάτων ἀνεκδότων* 'sectiones tres' (Aristot. Did. uol. III fasc. 1 p. 291-332). qui quod Parisiensibus libris excussis rem egisse sibi uisus non est, sed itinere Hispanico instituto Matritensem quoque codicem contulit cuius desiderium iam Iriarte bibl. Matrit. cod. Graec. mscr. catal. I p. 321 sq. excitauerat, egregie de his libris meruisse censendus est. Quid uero? confectam rem esse crederem? chartas TVAS abicerem? ego uero minime: qui manibus tenebam eorum maxime librorum scripturam quos Bussemakerus non attigerat, neque uiles eos aut ceteris magis inquinatos sed qui prae Parisiensibus uiderentur sequendi. exemplum uitiosissimum Parisiensem eum cuius scripturam adposita A nota uult intelligi ducem ille sibi elegerat in restituenda Alexandri manu: Matritensem librum multo potiore esse auctorem codicum quibus TV usus eras consensus me docebat. porro scite ille quidem multa dextereque emendauit: multa plura ut libri a librariis pessime habiti primus editor lecturis coniectanda criticis emendanda reliquit. etenim illis ut lectio bene cedat, ne Latina quidem interpretatione adposita satis cautum est: tantopere ego quidem etiam nunc laboro quid sit quod uel 'hieme minus reflare uentos' uel 'equos qui recta quidem crura et paruum habeant supercilium aut ualde magnum, cito claudos reddi' interpres dicat (p. 300 pr. 48 et p. 323 pr. 169).

Quae cum ita essent, TIBI me hoc debere existimaui, ut non occultarem scriniis meis TVA illa, sed eadem quam TVVM me doceret exemplum liberalitate cum uiris ab hac studiorum ratione non alienis communicarem, neque discrepantiam scripturae e schedis TVIS excerpsisse satis haberem, sed nouum exemplum illo modo quantum potuissem (quod quantulum sit, unus ego optime perspicio) emendatum foras darem. id autem ut facerem, aut aptiorem hoc aut magis paratum locum nancisci non licebat.

Itaque ut iam eis qui ad emendanda haec problemata accessuri essent, quorum sagacitati quantum relictum sit nunc etiam rectius pleniusque perspicere puto posse, munirem uiam, de libris manu scriptis quibus ea debentur, intellexi pauca disserenda mihi esse. Duo esse genera Alexandri codicum statuit Bussemakerus praef. p. VIII: altero enim eadem eodem disposita ordine contineri problemata, quae cum in aedibus Aldi Manutii a. MDCCCLXXXVII typis descripta essent, iisdem iterassent Dauius (cuius editione quod uti mihi non licuit magnopere doleo, cf. Hoffmanni lex. bibl. litt. Graec. I p. 115) Sylburgius Idelerus, quo in numero esse Parisienses libros 1893. 2048. 2230. 3044, quibus addas Laurentianum pl. LXXV 13; ad alterum pertinere, si quidem recte eius sententiam adsecutus sum, reliquos omnes diuersissimos uel ordine uel numero quaestionum, Matritensem et Parisienses 1883. 1884. 2047. 2047 A. 2381. at illud genus ab hac disputatione abhorret: huius ei maxime codices esse iudicandi sunt qui tertii quoque quartique libri non singula capita sed integrum capitulum ordinem nec nisi paruis quod fieri ubique solet siue mutilum siue discrepantem complectantur. quod si ita est, remouendi sunt Parisienses BCDE, relinquuntur autem e Bussemakeri libris Matritensis tantum et A (Paris. 2047 A). e TVIS contra uir

celeberrime accedunt Marciani tres (P R S) et Oxoniensis (O); nam de Mutinensibus suo loco postea dicam. Et Matritensis quidem maximam partem Constantini Lascaris manu scripti satis accuratam notitiam Iriarte l. s. nobis dedit. id enim in eo est maxime memorabile, quod cum Aristotelis problematorum liber I et II 1-13 praemissi essent, interposito quod p. 1-2, 6 legis prooemio illis ipsis ut liber III et IIII adiuncti ei sunt de quibus quaerimus: indices uero illis hi inscripti sunt Ἀριστοτέλους ἰατρικῶν προβλημάτων καὶ φυσικῶν ἐκλογαὶ τὸ γ' et Ἀριστοτέλους φυσικὰ προβλήματα τοῦ δ'. desunt tria tantum problemata nostra III 70. 107. 131. neque tamen reliquis quae Alexandri feruntur problematis prorsus Matritense exemplar destitutum est: secuntur enim inde a f. 46 u. Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισιέως προβλήματα φυσικά, quibus ut uiri inter Hispanos doctissimi uerbis utar 'continentur quae primo eiusdem problematum libro excuso, si excipias 22. 30. 35. 38-40. 42. 43. 45. 46. 49. 52. 53. 59. 60-62. 64. 65. 67. 73. 74. 77. 79. 80. 83-87. 89-96. 98-100. 104-106. 118-121. 124. 125. 129-131. 133. 135. 136. 142. 143. 145-148. 150. 151.' quod uero pergit ille 'contra in eodem excuso libro desiderari quae in manuscripto sub finem occurrant' nouem problemata, in primo profecto nequidquam quaesueris: sunt enim alterius libri pr. 7. 25. 26. 47. 53. 55. 58. 68. 64. De Parisiensi A Bussemakerus ipse dicat quod habeat: 'codex in quo ordo foliorum interturbatus est, olim continuisse uidetur seriem problematum quae Matritensis sectioni III et IIII respondebat; uerum hodie euulsis foliis nonnullis multa desunt; continet praeterea tria folia in quibus legitur principium alius seriei problematum quae in nullo alio libro uel edito uel ms. reperiri uidetur.' accuratius ut definiam, insunt in hoc libro III 1 (p. 2, 16-19), 4-12 (p. 3, 15-4, 7), IIII 66-192, quibus noua accedunt quadraginta quinque a Bussemakero in tertiam sectionem coniecta, a me nouis emendandae scripturae aduinculis deficientibus hoc loco non edita.

Vides neutrum ab omni parte tam integrum esse quam eos quos TV contulisti libros O P R S, ut in quibus Alexandri problematorum non solum tertius hic et quartus, sed etiam duo priores libri insint. nullum insuper problema Marciano P deest, quin etiam eam pr. IIII 81 partem quae excepto Parisiensi A in reliquis omnibus praetermissa est p. 18, 11-19, 6 exhibet, ac Parisiensi plenior. nihil praeterea nisi ea ipsa quam dixi particula ab Oxoniensi O uidetur abesse: quo de id tantum addendum est pr. IIII 107 inter pr. 118 et 119, eiusdem libri pr. 131 inter pr. 133 et 134 collocatum esse. reliqui Marciani R et S, de quibus cf. I. Morellius bibl. manuscr. I p. 144, eadem quae M omittunt pr. IIII 70 (nisi quod loco uacuo relicto MR) et 107 et 131: quorum duo posteriora qui factum sit ut interciderint, tamquam uestigium Oxoniensis monstrare uidetur; nimirum in archetypo codicum M O R S aut egregie fallor aut margini adscripta illa fuerunt. Verum etiamsi Marciani P et mutilati impiorum hominum manibus A origo ab exemplo aliquanto integriore repetenda est, tamen quominus eis solis recensionis auctoribus uteremur, obstabat cum huius neglegentissima ac uitiosissima scriptura, tum illius fides de

coniecturis ultro inlatis raro sed tamen aliquando suspecta. id igitur agendum mihi erat, ut e cunctorum A M O P R S uestigiis ea quae in communi olim archetypo scripta fuissent coniectura adsequeretur eaque si sana non fuissent studerem emendare. quod si editio Parisiensis, cuius etiamsi numero plures auctoritate tamen duo tantum mscr. testes erant, dissentiebat ab apographo ΤΥΟ, ΤΙΒΙ qui et grauioribus usus esses et pluribus auctoribus, malui fidem habere quam illi. itaque in eis quae ad orthographiam pertinent, elisionem dico litterarum ε̄ et σ̄, ν̄ ἐφελκυστικόν, uerbi γίγνομαι et γιγνώσκω scripturam, ΤΥΥΜ exemplum constanter secutus sum.

Sed quam a meliorum codicum parte stare perlustrata discrepantia scripturae facile perspexisti Georgii Vallae Placentini interpretationem Latinam quo tandem loco habeam, sciscitari ex me uideris. is igitur magna cum fide secutus est eiusdem generis librum mscr. cuius illi sunt: a quibus ubi discedit eius interpretatio, coniectura id factum est interpretis saepe numero feliciter locis corruptis adhibita. uerum tamen ordine prorsus diuerso problemata a Valla scis esse collocata, qua de re paucis dicam. manibus enim editionem teneo, si fides est Fabricio b. Gr. v p. 664 Harl., principem quae anno CIƆCCCLXXXVIII Venetiis prodiit per Antonium de Strata Cremonensem. atque ibi praefationem primi libri p. 247-250, 9 Sylb. excipiunt eiusdem l. quaestiones 119-152; deinde hoc in scripto indice *Alexandri Aphr. eclogae medicinalium et naturalium ambiguitatum. problematon sectio secunda. prohœmium* et quaestio prima libri II (p. 299-301, 28) et III a me editi pr. 60-69, 71-84, 86-87, 89-101, 103-106, 108-122, 124-126. tum quasi interciderint tertia et quarta sectio, *Alex. Aphr. de quadrupedibus ambiguitates et solutiones differentes sectio quinta* sequitur, i. e. III 128-130, 132-133, 136-144, 146-150, 152-153, 155-170, 172-173, 175-192. *secta* deinceps primi libri problemata 1-118, *septima* alterius pr. 2-49, 51, 50, 52-62, 76, III 8, Cassii pr. 53, III 23, II 63-75 continentur. Quem ordinem tantum abest ut Valla ad libidinem finxerit, ut quibus ex libris duxerit demonstrare possimus. etenim sectiones I. II. V quas uocat cum in Latinum sermonem uerteret, utebatur ille aut Mutinensi 144 ipso (nam in undecim quae ille, non item Mutinensis omisit problematis sunt quae scientem illum praetermisisse existimaueris) aut certe simillimo: id quod statim TV uir amicissime perspexisti¹⁾. nam et apud Vallam (sect. I. II. V) et in hoc libro desunt pr. I 1-118 et

¹⁾ haec enim tunc in chartas TVAS coniecisti Codex Moden. 144 (145). fol. chart. rec. (Alberti Pii) cont. Plutarchi opuscula quaedam, inde a f. 70 Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισιέως φυσικαὶ ἀπορίαι καὶ λύσεις τόμος ᾱ. Zwischen f. 70 und 71 sind mehrere Blätter ausgefallen; f. 71 faengt an mit den Worten ὁμιλίας καὶ διηγήματα p. 287, 10 Sylb. Georgius Valla muss ein aehnliches lueckenhaftes Exemplar gehabt haben; denn seine Uebersetzung beginnt mit Auslassung dieses Theils vom Pr. ᾱ p. 281, 18 Sylb. — dieses Problem ist im cod. mit der Zahl μ̄ε bezeichnet. In den uebrigen Problemen bis zu Ende des Buchs stimmt der codex mit der Sylb. Ausgabe. Τοῦ αὐτοῦ ἐκλογαὶ ἰατρικῶν ἀπορημάτων καὶ φυσικῶν προβλημάτων τόμος β̄. Nach dem ersten Probleme 2¹, weisse Blätter. Darauf folgt wie in der Uebersetzung des Valla διατὶ οἱ τοῦ ἀνθρώπου ἔτηες μάλα κλύτατοι; bezeichnet mit ζ̄. So stimmt der codex auch im Folgenden mit der Uebersetzung. . . . Τοῦ αὐτοῦ περὶ τετραπόδων ἀπορίαι καὶ λύσεις διά-

II 2-III 59, quamquam ex reliquorum numero quattuor tantum in Mutinensi desiderantur III 70. 107. 131. 154. At qui tandem factum est ut Valla ea problemata quae de quadrupedibus sunt (III 128 - fin.) in quinta sectione, non ut codex Mutinensis in tertia collocaret? unde petit quas initio omiserat primi et secundi libri partes? Praesto est Mutinensis cod. 110 ex ipsius olim Vallae, deinde Alberti Pii Carpensium principis libris Mutinam translatus²): qui et illa quae sexta et septima sectione Valla comprehendit, I 1 (omisso prooemio) — 119 p. 288, 5 Sylb. atque II 2-extr. et librum III atque III 1-68 continet. hoc igitur exemplar prioribus tribus partibus uersis nactus sextam et septimam adiecisse, interpretationem libri III et III 1-59 uoluisse uidetur tertio et quarto loco ponere neque tamen perfecisse. Restat tertius Mutinensis 210 cetera is quidem centesimo decimo prorsus similis, eo tamen integrior quod omnia quarti libri problemata 1-192 neque non Cassiana exhibet.

Accedo ad medium quoddam genus librorum, quod ordine capitum non turbato imperfectum atque mutilum relictum est librariorum ignauia. eiusmodi codice usus est Theodorus Gaza Thessalonicensis qui iussu Nicolai v P. M. medio fere saeculo millesimo quinto 'problemata Alexandri Aphrodisieci libros duos' Latine interpretatus est elegantiae quam fidei studiosior. alter enim liber problemata libri II. III (omisso prooemio). III 1-38 (cuius desunt pr. 3 et 24) complectitur. eidem sunt fines Oxoniensis N qui tamen tertii libri et indicem et prooemium seruauit. Laurentianus uero pl. 71, 33 quattuor libris promissis tertii ne prooemium quidem excedit sed in uerbo *σαρκώσας* p. 1, 9 subsistit, cf. Bandin. catal. III p. 22.

Tertium genus emendandae scripturae minimo est usui. atque de Parisiensibus quam sint ratione conflati, certiores nos Bussemakerus non fecit³). quam uero

φοροι τόμος τρίτος Διατί τῶν τετραπόδων οὐδέν κτέ. [4, 127]. Dann folgen die von G. Valla unter dieser Rubrik uebersetzten Probleme' et q. s.

²) de quo haec TV olim adnotasti 'Cod. 110. chartac. recent. von verschiedenen Haenden. Γεωργίου τοῦ Βάλλα ἔστι τὸ βιβλίον — Ἀλβέρτου Πίου Καρπαίου ἀρχοντος κτήμα. Enthaeft Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισιέως: die Probleme ohne Prooemium. Uebrigens scheint das I Buch im cod. ganz mit dem Sylburgischen Text zu stimmen bis probl. *μιθ* (*ριε* des codex) p. 288, 5 wo es abbricht. Dann folgt nach einer kleinen Luecke das zweite Problem des II Buchs — am Rande ist bemerkt *δρος τόμος*. Auch das zweite Buch scheint im uebrigen mit der Sylb. Ausgabe ganz zu stimmen bis zu Ende. Dann folgt im codex Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισ. φυσικῶν ἀπορημάτων καὶ ἰατρικῶν προβλημάτων ἐκλογαὶ τόμος γ' Ἀριστοτέλους περὶ ζώων ἰδιότητος. mit folgendem weder in der Uebersetzung des Valla noch in Cod. 144 erhaltenen Prooemium Οἱ μὲν πλείους τῶν παλαιότερων κτέ. — Dann folgen die Probleme διατί τῶν ἐν γάλακτι τρεφόμενων [III 1] κτέ., im Ganzen κβ Probl. Dann folgt Ἀριστοτέλους ἰατρικῶν προβλημάτων καὶ φυσικῶν ἀπορημάτων ἐκλογαὶ 12 Blaetter' et q. s. — Mira etiam haec inter Mutinensem 144 et 110 intercedit necessitudo, quod cum in illo Alexandri probl. III 192 excipiant Cassii problemata 1-19 (p. 339, 13 Sylb.), in hoc Alexandream pr. III 68 nullo intermisso spatio (in margine tantum legitur *λείπει τέταρτον*) Cassiana reliqua 20-84 subsecuntur: ut unum olim exemplar integrum in duo discissum esse pateat.

³) id tantum ex editoris Parisiensis praefatione p. viii sq. colligere licet, quae antehac non edita problemata in illis libris extent. itaque B continet libri III problemata 4-10, 13-18, 20, 21. III 1, 3, 4, 6, 9, 10, 12-15, 19, 20, 26, 28-33, 35, 38-43, 49, 50, 52-54, 63, 72, 79, 81-83, 86, 89 et tertiae apud

sint inutiles, exemplo sunt Par. D et E uilissimi libri et omni genere interpolationum pessum dati, a quibus prorsus erat abstinendum. uideas enim quaeso quid loco uerborum p. 4, 24 γίνωσκε γὰρ — 25 ὑπάρχον E exhibeat 'γίνωσκε δὲ ὅτι τὸ τοιοῦτο καὶ αὐτὸ ἐκ τεσσάρων στοιχείων ἐστίν, οἷον τὸ μὲν γὰρ ὄστρακῶδες εἶοικε τῇ γῆ ψυχρὸν καὶ ξηρὸν ἔχον τὴν σύστασιν καθάπερ καὶ ἡ γῆ', uel quale in D pr. III 103 legatur (Bussem. praef. p. xv). Sed aliud est unde uel his pretium aliquod accedat. nimirum ut horum librorum natura atque ratio recte pernoscatur, qui usque ad nouissima tempora etiam atque etiam nouos tamquam surculos egerint. qua de re postea breui dicam. nunc enim eius generis exemplum ponam Harleianum V̄CCCLXXXV cuius quasi gemellus uidetur Parisiensis B esse (cf. adn. 3). de illo igitur haec accuratissimis tuis commentariis accepta refero: 'Αλεξάνδρου Ἀφροδισέως ἐπὶ τισι φυσικαῖς ἀπορίαις λύσεις (sic) βιβλίον ᾧ̄ complectitur primi libri prooemium, pr. 67. 72. 76. 81. 55. 60. 64. 84. 85. 88. 90. 96. 111. 114. 118. 133. 139. 142. II 1. I 126. II 2. 3. 8. 9. ?⁴) 14. 15. 19. 21. 26-29. 31. 32. 36. 37. 41. 44. 43. 46. 56. 60. 61. 62. 65. 72. 73. 75. III 4. 5. 7-10. 13-16. 18. 17. 20. 21. III 1. 4. 6. 9. 10. 12-15. 19. 20. 26. 28-33. 35. 37-43. 49. 50. 52-54. 63. 72. 79. 81-83. 86. 89. sequitur τῶν τοῦ Ἀλεξάνδρου φυσικῶν βιβλίων β̄ haec complectens I 26-29. 2. 10. 12. 23. 31. 34. 35. 38. 39. 41. 42. 51. 54. 56. 65. 68. 74. 89. 115. 117. 123. 128. 138. II 13. 16. 22. 68. Bussemakeri partis III 46⁵). Al. II 25. 26. Bussemak. p. III 47⁵). deinde περὶ οὔρων πραγματείαν ἀρίστην τοῦ σοφωτάτου παρὰ μὲν Ἴνδοις Ἀλλῆ παρ' Ἰταλοῖς δὲ Ἀβιτριάνου (f. 20 u.) interpositam excipiunt f. 25 Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισέως φυσικῶν ἀπορημάτων καὶ ἰατρικῶν προβλημάτων ἐκλογαί. βιβλίον δ̄οκ. Ἰστέον ὅτι τὰ αἷτια τρία γὰρ εἰσιν οἷον προκαταρκτικὰ προηγούμενα καὶ συντακτικὰ. καὶ καταρκτικὰ μὲν εἰσιν οἷον λουτρὰ μέβαι καὶ τὰ τοιαῦτα· προηγούμενα δὲ οἷον ὄγκοι φλεγμοναί. συνεχτικαί (sic) οἷον πυρετοὶ καὶ χυμοὶ πλεονάζοντες. τὰ δὲ συμπτώματα ἢ ἐν βλάβαις ἐνεργειῶν ὡς ἡ παρόρασις ἢ παραφροσύνη, ἢ ἐν διαθέσει ὡς αἱ κακόχρῳαι ἢ ἐκκρινόμεναι καὶ ἐπερχόμεναι ὡς ἡ γαστρορία καὶ αἱμόρροια: quibus coniunguntur de febribus erotemata qualia sunt τί ἐστι περίοδος, τί ἐστι παροξυσμός et breuissima responsa. denique f. 28 Ἀλεξάνδρου Ἀφρ. φυσικῶν ἀπορημάτων καὶ ἰατρικῶν προβλημάτων ἐκλογαί. βιβλ. ε̄, quo praemisso erotemate τίνα εἰσὶ τὰ ἀναγκασιότατά τε καὶ ἀνώτατα τῆς ἰατρικῆς μέρη; haec continentur capita περὶ τῶν τῆς

Bussemakerum partis (p. 331) 46 et 47. C cont. III 2-5. 13. 15. 20. 22. 27. 28. 32. 38. 40. 41. D cont. III 10 et 15. III 23. 24. 27. 29. 32. 37. 38. 56. 59. 67. 73. 95. 96. 99. 103 et Bussem. p. III 46-49. E denique III 6. 9. 10. 12. 21 et Bussem. p. III 50-52.

⁴) neque enim habere me fateor quo referam corruptum hoc problematis exordium: Διατί βιαζομένου πρὸς κίνησιν παρχει τὰ ἀγγεῖα καὶ δίδωσι γένεσιν τῆς οἰκείας θέρμης.

⁵) exscribo duo illa Bussemakeri p. 331, 32-38 problemata qualia in schedis tuis leguntur: Διατί τὰ τῶν αἰσῶν πτερά ἄλλοις ἐπιτιθέμενα φθορὰν ἐμποιοῦ; ὅτι σηπεδόνος τινὸς μετέχουσι φυσικῆς· δυσωδέστατον γὰρ πτηνῶν ἀπάντων ὁ αἰετός, ὅθεν οὐδὲ τῆς ἑαυτοῦ χερίσῃς θήρας τὰ λεύψατα αὐθις ἐπῆλθέ ποτε. Διατί τὸ ἔλαιον τῆς θαλάττης ἐπιραινόμενον ἡλιήνη ποιεῖ; ὅτι ἡλιήνη καὶ ὑγρὸν, διαλισθένει ποιεῖ τὰ κύματα πρὸς αὐτῇ καὶ ἐνδιδόαι τῆς οἰκείας ὀσμῆς καὶ φθορᾶς.

μήτρας παθῶν διαιρέσεις, περὶ κεφαλῆς καὶ τριχῶν, π. τῶν ἐν ὀφθαλμοῖς παθῶν, πῶσα καὶ τίνα πάθη συνίστανται περὶ τὰ βλέφαρα καὶ τοὺς κανθούς, π. ἔρπητος, περὶ φυγέθλου, περὶ διαφορᾶς αἰμορροῦδων. His igitur medici fruuntur. uides autem et quam late patuerit Alexandri interpretis clarissimi nomen quippe ad quem tam misella erotematum commenta referrentur, et quantum in ea re librarii male seduli studium collocauerint, ut nouos ex ueteribus libros conderent. Quod uel maxime in eis codicibus conspicitur, ubi Ἀλεξάνδρου Ἀφροδισιέως ἐπί τισιν ἀπορίαι καὶ λύσεις leguntur non solum ex Alexandri quattuor libris sed etiam ex Cassii problematis electae. eo enim ex numero sunt Bodleianus 131, Parisiensis 1268 (neglectus a Bussemakero), Vindobonensis medic. 3 (cf. Lambec. comment. vi p. 200)⁶⁾, tum illi problematis in angustum saepe coactis tum uerbis scriptoris male habitis insignes. Bodleianus autem eo quo enumerabo ordine has quaestiones continet *Al.* I 29. 10. 7. 4. 28. 5. 3. 23. 56. 57. 61. 63. 119. 122. 126. 133. 132. 134. 144. 145. 149. III 96 et 99. *Bussem.* partis III 48⁷⁾. *Al.* II 48. I 117. 115. 36. 60. II 71. 76. III 12. 17 (p. 6, 30-7, 5), 22. III 2. I 16. III 13. I 26. 27. II 75. *Cass.* 55. 66. 67. 80. *inedita* duo (uide p. 37). *Al.* I 139. III 73. 78. 83. *Cass.* 50. 49. 53. *Al.* I 130. III 32. I 79. III 23. 24. 36-38. 56. 59. I 1. 21. II 26. 22. 7. I 127. 128. 31. 2. 18. 38. 42. 14. 21. Quae cum ita sint, iam spero grauaturum TE non esse uir amicissime, quod quamquam parata illa TUA beneficentia habebam, digna non censui quae integra ederem.

Tantum habui de exemplis manu scriptis dicere. itaque iam uir praestantissime ab disputationis argumento exili et ieiuno reuocare animum iuuat ad grauiora eaque ipsa quorum cogitatione cum emendanda haec problemata et edenda curarem, munus mihi crede taedio minime uacuum, ego reficiebar perferendamque mihi molestiam existimabam. quaerere enim TE uideo qua caussa commotus, cum Aristotelis esse maiorem libri III partem Bussemakerus statuerit, ego Alexandri, immo ne Alexandri quidem nomen utrique libro inscripserim. Quid? quod bene illum iudicasse non modo concedo non dubitanter, sed laudibus effero? expediam autem sis TIBI hanc opinionum turbam atque discordiam. primum enim quod ut Aristotelea haec in multis codicibus circumferuntur, tam id profecto in ea cadit quae Aristoteli ille adsignauit (III 39-192), quam in Alexandria quae perhibet (III 1-III 38). uerum enim uero tantum illorum rationes ex subtili ueterum Peripateticorum disciplina repetitae ab sunt ab harum (I-III 38) nugis, tantum discrimen inter illorum dicendi genus aridum id quidem neque concinnum sed rebus aptatum atque friuolum illorum sermonem et tanquam uapidum intercedit, ut ex uetere problematorum uolumine illa esse

⁶⁾ num eius generis etiam Neapolitanus Gr. 320, cuius 'omnia problemata uix summam XLV explere' Cyrillus catal. II p. 428 tradidit, contendere non ausim.

⁷⁾ speciminis exhibendi causa illud pr. (p. 331, 39 Buss.) ut in Bodleiano scriptum sit referam: Διὰ τὸ ἄνεμος ἀμυδαῶς πνεῖ· προκόπτων δὲ καὶ ἐπὶ ἄλλῃ γῆν φερόμενοι γίνονται σφοδρότεροι; διὰ τὸ συγκатаμίγνυσθαι αὐτῶν ἄλλας ἀναθυμιάσεις ἐκ τῶν κατὰ μέρος.

desumpta necesse sit nos statuere. Duabus autem illa partibus constant, altera (39-126) quae est *περὶ συμπτωμάτων*⁸⁾, altera (127-192) qua continentur *περὶ τετραπόδων ἀπορίαι καὶ λύσεις διάφοροι*: qui index non tantum in Mutinensi 144 et Vallae interpretatione inuenitur, sed similiter et in Marciano P *Ἱατρικαὶ ἀπορίαι περὶ ζώων καὶ τετραπόδων* et in Mutinensi 210 *Ἱατρικαὶ ἀπορίαι* (sic) *περὶ ζώων κ. τ.* nouissimo libri quarti problemati legimus subscriptum. priorem uero partem e compluribus problematorum libris, quales sunt qui Aristotelis feruntur, conflata esse uel eo probatur quod qui eam composuit ne in fraude deprehenderetur ueritus quaestiones e singulis libris petitas disiunxit argumentoque dissimiles commiscuit haud secus atque factum est in prioribus libris. porro non minus uiginti sex eius partis problemata iisdem uerbis leguntur in Aristoteleis: reliqua igitur (neque enim extant etiam nunc Aristotelea ὅσα περὶ ἰλίγγους neque ὅσα περὶ τρίχας καὶ ὄνυχας neque ὅσα περὶ καθάρσεις) ad deperditos eiusmodi libros referenda esse nostro iure statuemus. exemplo sint quae de uertigine immixta sunt problemata, prorsus eodem modo atque Aristotelis qui dicuntur libri II et V et XXVI ex aliis Theophrasti commentationibus naturalibus, ita illa ex eiusdem *περὶ ἰλίγγων* libello electa eiusque (liceat enim mihi technicorum uocabulum huc uertere) quasi epimerismi. nam quod Hieronymus Mercurialis uariarum lectionum I cap. 9 pro comperto habebat Theophrasteum *περὶ κόπων* librum 'fere totum ex Aristotelis problematibus [I. V] conflatum esse', similia nostra memoria Bojesenum (de probl. Arist. diss. p. 10 sq. 15. 35 sq.) requere non decebat. Alterius partis magis etiam perspicua est origo. tenemus enim illius generis ipsius librum quem ne index quidem deficit, siue maui libellos tres *περὶ τετραπόδων* (127-137), *περὶ ὑῶν* (138-161), *περὶ ἵππων* (162-192). quorum nullus inter Aristoteleos seruatus est, maxima tamen argumenti pars ex Aristotelis de historiis, de partibus, de incessu animalium libris ducta est non obscure. apertissimum autem signum duco, quod cum in priore parte plurima ex Aristoteleis sint iterata, alterius huius duo tantum problemata 172 et 189 leguntur etiam in Aristoteleis, utrumque tamen in eo libro quem ex uariis male consarcinatum esse nemo, ne Bojesenus quidem (p. 28) infitatus est, uidelicet decimo illo qui inscribitur *ἐπιτομὴ φυσικῶν*. accedit aliud: Alexander enim pr. I 141 p. 295, 26 Sylb. *ἕξ τῆ κόπρω τέρονται* inquit *κατὰ Ἀριστοτέλην, ὅτι παχύρυγχοι ὄντες ἔχουσι διαφορομένην τὴν ὄσφρησιν καὶ μὴ ἀντιλαμβάνομένην τῆς δυσωδίας*, quae cum et in problematis et in aliis libris (ueluti *π. ζώων μορίων* II 16) frustra quaesiuissem, in his problematis (150 et 156) inueni, itemque Bussemakerus (cf. praef. p. xviii). qui tamen quod addidit quae in pr. 145

⁸⁾ In exordio p. 10, 14-23 haec proponuntur de quibus dicendum sit: *ἰλίγγοι* (cf. pr. 39. 42-43. 49. [107]), *πταρμοί* (40-41. 45. 47. 50-52), *χάσμη* (46), *λυγμός* (53. 111), *σκοτοδίησις* (immo *σκορδίησις* uel *σκορδιησμός* cf. pr. 44), *ἰρευγμός* (de eo nihil inueni), *τρίχες* (55-57. 61-64. 66-73. 75-82), *ὄνυχες* (58-60. 65. — *τρίχες καὶ ὄνυχες* 54. 74), *φωγὴ* (83-89. 91-96), *ἀκμή* (90. 97), *ὄσμη* (98-104), *γέλως* (de eo nullum hic extat problema), *ναυτία* (105. 106). Praeterea quae non proposita erant, de spiritu pr. 48, de purgationibus et alui profluuio pr. 107-110. 112-126 multis disputatur.

exponerentur, ea ipsa a Plutarcho quaest. nat. 21 p. 917 afferri tamquam Aristotelea, fefellit cum opinio: utriusque enim auctor fuit Aristoteles h. an. vi 28.

At 'haecine ergo' inquires 'tua ista constantia ut qui aut Alexandri aut Aristotelis esse illa neges, idem probes esse Aristotelea'? Tamen ne sic quidem mecum me dissentire minime omnium tu uir doctissime miraberis, qui quam longe Aristotelea illa quae perhibentur a Stagiritae ingenio abhorreant penitus cognoueris. etenim ut supra significauimus, qui primus illa condidit hoc agebat, ut si quae in Aristotelis Theophrasti aliorum ueterum Peripateticorum libris physicis explicata essent difficilia et repugnantia (ἀποπα, ἀπορίαι), ea eligeret et in quaestionis responsique speciem fingeret. inde iam posteriores illi Alexander et Cassius pleraque sua mutuati sunt partim non mutata partim uerborum imbecillitate corrupta auctaque ineptiis. Ita ea quae Aristoteleis adiungi editor Parisiensis iubet non mutata adsumpsit, quae in libris I-III 38 leguntur ea pro suo ingenio Aristoteleis illis usus perscripsit hic si fas est dicere Alexander. nam ab eodem scriptore conflata utraque esse id profecto bonis codicibus qui quattuor libros coniunctos exhibent (in Matritensi enim ceteris minime integriore quod cum Aristoteleis iunctus est liber III et IIII, cur tandem deterior pars III-III 38 praetermissa non est?) tantisper credendum erit, dum prolato exemplo illis antiquiore alia possint probari. Sed fortasse dixerit quispiam, coniuncti cum traditi nobis sint tertius et totus quartus liber, non esse eos quidem disiungendos, sed parendum codicum eorum auctoritati qui Aristoteli illos tribuant. qua de re secus ego censeo. a contraria enim parte nonne totidem, immo plures stant testes Marcianus S Mutinenses 110 et 144 Oxoniensis N Gaza Valla alii? nonne ei ipsi qui ab istis citantur praeter unum Matritensem omnes Alexandri primo alterique libro subiungunt Aristotelis nomine inscriptos tertium et quartum? uerum restant grauiora. nam quae tertio libro et quarti priore parte continentur problemata a primi et secundi scriptore profecta esse haud scio an nemo negauerit qui uel dicendi genus⁹⁾ uel disserendi rationem (quale est inficetum allegoriarum studium quod et I 87¹⁰⁾ et III 17 obseruabis) contenderit. A qua comparatione nolim excludi prooemia librorum II et III simillima eo quod nulla fere inter ipsa librosque intercedit necessitudo. iniuria enim tertii prooemium Bussemakerus tacite praetermisit, cum operam quam tumultuariam in his libris condendis scriptor collocasset, inde planissime intellegi posset. nimirum quam coniecturam Buhlius Arist. uol. I p. 178 iam ceperat exorsos olim esse ab hoc prooemio commentarios a Byzantino homine

⁹⁾ quae enim in altera parte breuissime saepe dicta legas, ea in prioribus III libris fusiore paullulum et parum accurata definitaque oratione enarrantur, ita ut emendanti prorsus alia ratio ineunda sit in hac quam in illa. itaque in libro III non tam glossemata et interpolationes cancellis circumscribenda erant (quod faciendum mihi saepe existimaui in posteriore libri quarti parte), quam toleranda molesta sermonis abundantia quae in pronominum maxime usu cernitur, uide exempli causa III 15.

¹⁰⁾ non minus absurda in pr. I 134 conspicitur fabularum explicatio, in qua Euhemerum tibi aliquem ex lepida Psellorum gente audire uidearis.

nescio quo scriptos in Hippocratis aphorismos, eius rei documento est codex Vindobonensis medic. 4 satis antiquus quo comprehendi Hippocratis librum aphorismorum cum anonymi cuiusdam praefatione illa narrat Lambecius comment. vi p. 200: unde edidit eam post Iriartem Dietzius ('Apollonii Citiensis, Stephani al. scholia in Hippocratem et Galenum' uol. II p. 244 sq.). Sed ut redeam unde euagata est oratio, restat aliud quod Bussemakerum fugit indicium quo eundem quattuor librorum esse siue scriptorem siue mauis editorem arguamus. quod enim legimus III 17 ὥσπερ γὰρ ἐξεθέμεθα τὸν οἶνον τετραμερῆ, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ αἷμα, quis uerbis p. 7, 1-5 inspectis non sentiet aut nusquam aut ad Alexandri II 70 p. 327, 2 Sylb. pertinere: ὥσπερ δὲ οἶνός ἐστι τετραμερῆς ἔχων ἄνθος τὸ ἐπιπολάζον κουφότατον ὄν, καὶ τρύγα ὑφιζάνουσαν παχεῖαν οὔσαν, καὶ τὴν ὑγρότητα τὴν τῷ χρόνῳ δαπανωμένην, καὶ αὐτὸ τὸ οἰνωδες καὶ τρόφιμον? Iam igitur cum et ab Aristotele huius scriptionis suspitionem procul remouendam neque quattuor librorum caussam diuidendam esse mihi largitus sis, id mihi relinquitur, ut ne Alexandrum quidem horum scriptorem recte existimari tibi persuadeam. quod neque melius neque plenius posse me intellego quam repetitis Theodori Gazae uiri sanissimo iudicio insignis uerbis quae ad Nicolaum V scripsit *Alexandri illius haec [esse] uiri foecunda sapientia praediti et ueri atque germani opinionum Aristotelis speculatoris, nullo pacto equidem credere possum. nam et doctrina auctoris illius cum in plerisque aliis tum in iis quae de animo istaec disserunt problemata omnino desyderantur; et ab elocutione illius adeo longe haec dissonant, ut facile quisque lectione ueterum litterarum graecarum exercitus intelligere possit non id opus ad Alexandrum Aphrodisieum, sed ad aliquem multo recentiore autorem referri oportere. doctrinae iudex nullus te melior esse poterit, elocutionis uero . . . sint illi arbitri uelim qui neque per malignitatem ementiantur, neque per ignorantiam litterarum gentis graecae bonarum aberrant.* Quibus quid uerius esse potest et quid magis consentiens cum C. Prantelii uiri sagacissimi disputatione (comment. acad. Monac. uol. VI 2 p. 376)?

Quod si a Byzantino quodam homine collecta haec et edita esse non negamus neque celamus quanta in aliis problematis rationum sit infirmitas, quanta in aliis rerum explicatarum exilitas et spurcicies, erunt (atque multos fore auguror) qui mihi exprobrent quod in eis studium meum collocauerim, et iam tandem intellegere sibi uideantur quid olim qui non esse philologum quin cynicus idem esset subobscurus dictitaret, Fridericus Schlegelius sibi uoluerit. id enim esse philologorum ut quas tangere pigeat alios sordes, illi arripiant contrectent deterant. ignorare isti uidentur uetus illud, nihil in studiis tam paruum esse tamque contemptum et abiectum, unde aeternae ueritatis scintilla nulla emicet. quod in hos quoque libros cadere tu uir doctissime primus intellexisti. etenim qualem originem habuerint et qua natura sint Graeca problematorum uolumina, nonne hinc uel maxime et planissime potest dispici? itaque quamuis plerisque taedium me pariturum esse lecturis probe sciuissem, religiosum habui praetermittere quidquam quo patefieret et quam diu obtinuisset eligendi excerptaque studium unde prima illa prouenissent, et quantopere luxuriasset hoc

litterarum genus. Neque tamen ob hanc unam causam digna haec problemata erant quibus operam darem; nam etiam aliis et antiquioribus scriptoribus et qui magis in oribus sint animisque hominum utilissima sunt. ueluti Theophrasto, cuius de uertigine libello misere corrupto opem ferunt quae inde petitae sunt quaestiones; § 9 p. 809, 25 Schn. conl. horum pr. p. 11, 14 sq. ratione certissima sic emendabis: — τὰ ἐν τῷ κινεῖσθαι σωζόμενα δίστησι καὶ ἡ στάσις· τῆς ὀψέως δὲ στάσεως ἐνὸς μορίου καὶ τὰλλα τὰ συνεχῆ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ ἴσταται· διστάμενα δὲ κτέ.; ibidem p. 809, 31 sq. Bernaysii coniectura Heracliteorum part. I p. 7 proposita confirmatur nostris p. 11, 16; § 15 fort. ἡ μὲν γὰρ ἐνδεία σύντηξιν εἰς τὰ κενά scribendum est conl. p. 11, 23; ibid. p. 810, 14 corrigas καὶ ἐφίστησι τὰς περιόδους conl. p. 11, 24; denique § 13 extr. et uoc. πλέον de quo dubitabat Schneiderus III p. 778 firmatur et scribendum esse patet ὅταν δὲ κινῶνται, φανερόν γίνεται καὶ εἰς ἐν μόριον ἀβρόον ἀποκλίνον (quod reiecto aoristo debebam hic quoque scribere cf. Arist. pr. VI 4) ποιεῖ τὸν ἴλιγγον conl. p. 12, 30. Neque Aristotelea problemata fructu suo destituuntur. grauissimum enim ad antiquissimi codicis Parisiensis 2036 (quem Y^a dicit I. Bekkerus) auctoritatem momentum habent quae in haec problemata ex Aristoteleo uolumine inlata sunt tempore codicibus nostris antiquiore: quando quidem tum maxime cum a reliquis codex ille dissentit, cum nostris consentit: quam rem ut uno exemplo ΤΙΒΙ probem, conferas mihi Ar. pr. XI 41 p. 904^a 1 sq. cum nostro III 97 p. 21, 20. etiam codex γ quem Bekkerus unde petiuisset ne uerbo quidem praef. p. VI significauit, et quo in problematis usum esse scis alterum illum Didymum, iam quiuis perspiciet qualis fuerit: contendas quaeso Arist. pr. XI 61 editionis Berolinensis adnotationes cum nostro pr. III 95 p. 21, 10-13, Ar. XIII 8 et 9 cum nostro III 99 et 98: uides illum ipsum codicem fuisse horum quae Alexandri feruntur problematorum. Ceterum ad emendandam Aristotelis scripturam quae hinc possint uel post Bekkerum et Bussemakerum conferri, cum alii uidebunt, tum maxime Bonitzius in cuius acri ingenio spes suas habent Aristotelici nostrates omnes.

Verum (diutius enim quam par erat disputationis satis exilis auditorem uolui TE esse) hanc mihi quaeso da ueniam, ut de Empedoclis uersu pr. III 102 p. 22, 9 seruato paucis additis finem faciam scribendi. in illo enim cum ἀπαλὴν περὶ ποίην ad ueri similitudinem emendasse mihi uidear, relinquitur tamen ποδῶν quod sanum uix est ut corrigatur, et Empedoclis quae fuerit sententia ut diuinetur: qua in re ego quidem nihil proficiebam, dum ex illo problemate auxilium studebam petere, in quod uereor ne ornamenti potius quam argumenti causa uerba Empedoclis sint adscita. sed in testem incidi locupletissimum Plutarchum quaest. nat. 23 p. 917. qui cum proposita sit quaestio cur uerno tempore minus facile uestigia canes indagent, responsurus ab his orditur: πότερον αἱ κύνες ὡς φησιν Ἐμπεδοκλῆς ἑκείματα θηρείων μελέων μυκτῆρσιν ἐρευνῶσαι τὰς ἀπορροίας ἀναλαμβάνουσιν ἢ ἀναπολείπει τὰ θηρία τῇ ὕλῃ κτέ. Empedocles enim eo percipi odorem docebat, quod exirent de corporibus et diffunderentur tenuissima quaedam ramenta quas ἀπορροὰς proprio

uocabulo dicebat (u. 281 Steini, 267 Karst.), cf Theophrastus de sensibus § 9. 20 sq. quam ob rem cum in illo uersu neque κέρματα neque quod altero loco (de curios. 11 p. 520) Plutarchi codices exhibent τέρματα neque quae uiri docti coniecerunt κέρματα κεύθματα πέλματα ita sint comparata ut possis in ullo acquiescere, philosophi sententiam optime Ph. Buttmannus uidetur adsecutus esse qui in comment. societ. philol. Lips. III p. 33 κέρματα restitui iussit, atque eam emendationem I. Geelius incorrupti uir sanique iudicii aduersus Karstenum merito defendit (apud Karst. p. 524); patet enim uerba τὰς ἀπορροίας ut κέρματα interpretaretur adiecisse Plutarchum. iam uero uides Plutarchum eodem unde nostrum problema ductum est fonte usum illam quoque Empedoclei uersus reliquiam cognouisse, utpote quam uerbis (ἀπορροίας ἀς) ἐναπολείπει τὰ θηρία τῇ ὕλῃ exposuisset, arcteque olim eam iunctam fuisse uersui illi quem Plutarchus exprompsit. itaque haec uestigia si insistamus, eo perducimur ut non ἐρευνᾷ sed ἐρευνῶν (sc. κύων) idque aptum a percipiendi uerbo (ueluti ἀναπνεῖ) legisse Plutarchum statuamus. tum uero plane actum est de genetiuo ποδῶν: cuius loco quod maxime participium ponendum esset, ueri similis nullum repperi quam πολῶν. igitur hos fere uersus lectitatos olim fuisse in Empedoclis altero libro existimaueris

κέρματα θηρείων μελέων μυκτῆρσιν ἐρευνῶν

* ἀμπνέει ἄσσο' ἀπέλειπε πολῶν ἀπαλὴν περὶ ποίην

(qui numeri ne quem offendant, uideatur u. 353 Stein. 389 Karst.).

Haec hactenus. quod reliquum est, TV uir amicissime fac ut et TVAM ualetudinem cures et coniuge carissima tandem denique in sanitatem restituta diu uenerabilis senectutis socia utaris. quod si quid de me liceat addere, pergas quaeso ut fecisti me amare.

Scr. Berolini mense septembri.